

tat imago rectius orbis imago &c.
Ut adeo *Codex* hic ad restituendum integritati suae Poema in subsidium ceterorum XIII. recensorum advocari debeat.

CCXXXIII.

- R. 49 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 141. f. min. luculente scriptus, rubricis pernotatus, et prius *Monachorum Congregationis S. Justine de padua. deputatus Monasterio S. Seuerini de Neapoli*, ut ad oram inferiorem p. 1. dicitur, est *Aurora* illa, seu Para-

phrasis metrica *Bibliorum Petri de Riga*, cujus X. Exemplaria jam priori Volumine retuli. Miniatus Titulus ita habet: *Incipit prolegus Magistri Petri Rege. Editoris libri. Deditioe libri Et causa edendi.* Profanicus videlicet ille, cujus Excerpta dedi ad primum Exemplar, quique inchoat: *Sodalium meorum petitio &c.* Ab hoc: *Incipit aurora et primo agit De. VI. diebus. Epylogus brevis ad quem sequitur narratio.* Itaque nulla, ut in aliis Exemplaribus, *παρεεγνα*. Epilogus dictus infit: *Primo facta die &c.* Opus ipsum:

Principio celum terramque creasse refertur &c.

Ordo Librorum est *Pentateuchus*, in quo initio *Levitici* Distichon illud: *Vox autem domini moysen vocat &c.* bis ponitur, ut jam alias notatum est, *Josue, Judices, Ruth, Regum* LL. IV. *Cantica,*

Job, Tobias, Judith, Esther, Machabaei, Daniel, in quo Vetus Testamentum terminatur. Nulla igitur *Oracula Prophetarum*, nullae *Recapitulationes &c.* Novum Testamentum incipit fol. 130.

Post legem ueterem respira petre. refulget &c.

et solam *Historiam Evangelicam* complectitur, neque eam integram; abrumpitur enim jam in

Sermone Domini in monte his versiculis:

Sed tradunt alij non sermonem nisi solum Prolatum turbis discipulisque simul.

Hoc igitur Exemplar nec ex integerrimis est, neque *Aegidii Paris.* Interpolationes continet. Compara illud, si lubet, cum iis, quae priori Volumine indicata sunt, et hic ad IV. Codices observantur.

CCXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2003 XIV. Folior. 51. f. maj. per duas columnas eleganter scriptus, rubricis comtus, et folio praevio haec referens: *Iste liber datus est Cartusiensibus prope pragam cum*

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

A a

libris